


SIMILITUDO ARCÆ NOE.



Arca Noë sine dubio Ecclesiæ typum tenuit, quia sicut illa super fluctus diluvii huc atque illuc fatigata ferebatur, ita Ecclesia in procelloso mundo diversis tempestatibus et calamitatibus hujus sæculi quatitur . et sicut arca Noe non solum munda, sed

etiam immunda animalia juerunt (habuit enim homines, habuit et serpentes), ita et in domo magna, id est Christi Ecclesia, vasa diversa sunt, alia in honorem, alia in contumeliam.

BEDÆ PRESBYTERI DE LINGUIS GENTIUM.

Linguarum diversitas exorta est in ædificatione turris post diluvium. Priusquam superbia turris illius in diversos signorum sonos humanam divisit societatem, una omnium nationum lingua fuit, quæ Hebræa vocatur, qua patriarchæ et prophetæ usi sunt non solum in sermonibus suis, verum etiam in litteris sacris. Initio autem quot gentes sunt, tot linguæ fuerunt. Deinde plures gentes quam linguæ, quia ex una lingua multæ sunt gentes exortæ : linguæ autem dictæ in hoc loco pro verbis ; quæ quia per linguam fiunt genere locutionis illo, quia his efficit, per id quod efficitur nominatur : sicut os dici solet pro verbis, sicut manus pro litteris. Tres sunt autem linguæ sacræ : Hebræa, Græca, Latina, quæ toto orbe maxime excellent. Illis enim tribus linguis super crucem Domini a Pilato fuit causa ejus scripta. Unde et propter obscuritatem sanctarum Scripturarum harum trium linguarum cognitio necessaria est, ut ad alteram recurratur, dum si quam dubitationem nominis vel interpretationis sermo unius linguæ attulerit. Græca autem lingua inter cæteras gentium clarior habetur. Est enim et Latinis et omnibus linguis sonantior, cujus varietas in quinque partibus discernitur. Quarum prima dicitur *κοινὴ*, id est mista sive communis, qua omnes utuntur. Secunda Attica est, videlicet Atheniensis, qua usi sunt omnes Græciæ auctores. Tertia Dorica, quam habent Ægyptii et Syri. Quarta Ionica. Quinta Æolica,

qua se Æolisti locutos dixerunt, et sunt in observatione Græcæ linguæ ejusmodi certa discriminatio. Sermo enim eorum ita est dispersus. Latinas autem linguas quatuor esse quidam dixerunt, id est, priscanam, Romanam, mistam. Prisca est, qua vel Italia sub Jano et Saturno sunt usi, incondita, ut se habent carmina aliorum. Latina quæ sub Latino et regibus Tusciæ cæteri in Latia sunt locuti. Ex qua XII Tabulæ fuerunt scriptæ. Romana, quæ post reges exactos a populo Romano gesta est, qua Nevius, Plautus, Ennius, Virgilius poetæ : et ex oratoribus Græcus Cato et Cicero vel cæteri effuderunt. Mista, quæ post imperium latius promotum simul cum moribus et hominibus in Romanam civitatem irrupit, integritatem verbi per solæcismos et barbarismos corrumpens. Omnes autem Orientis gentes in gutture linguam et verba collidunt, sicut Hebræi et Syri. Omnes Mediterraneæ gentes in palato sermone ferunt, sicut Græci et Asiatici. Omnes occidentales verba in dentibus frangunt, sicut Itali et Hispani. Syrus et Chaldæus vicinus Hebræo est sermo, e, communis sonans in plerisque et litterarum sono. Qui tem arbitrantur linguam ipsam esse Chaldæam, quod si hoc non verum fuerit, quomodo in Damasco Hebræi pueri linguam quæ non noverant, doceri jubentur. Omnem autem linguam unusquisque hominum sive Græcam, sive Latinam, sive cæterarum gentium, aut audiendo potes enere,